

Societatem in illo ordine infimum gradum, quam per hanc negationem, potius quam per positivam comparationem proposui, ut omnem invidiam vitarem. Duo enim solum ostendere intendo: unum est, habere in illo ordine satis magnam perfectionem; aliud est, ex illis duobus capitibus, quæ nobis objiciuntur, non posse colligi huic religioni deesse aliquid perfectionis debitæ et convenientis sibi juxta finem suum, et consequenter nec sibi simpliciter melioris; neque etiam ob has causas posse juste postponi aliis, qui pie ac religiose sanctas illas actiones exercent. Quæ vero in particulari, pensatis omnibus, perfectior sit, non est meum adjudicare, ut sæpe in hac materia dixi.

7. *Probatur jam primo hæc secunda pars ex fine Societatis.* — Illud ergo prius (posterius enim c. 8 et 9 præstabitur) multis profecto et manifestis modis ostendi potest, ex his quæ hactenus de hoc instituto diximus. Primo, ex fine, qui sine dubio est altissimus, omnium confessione; nam est idem cum fine Apostolici instituti, maximeque accedit ad finem adventus Christi in mundum; et quamvis multæ religiones eundem finem possint intendere aliquo modo, tamen Societas profecto quodam modo se ostendit in illum propensa; nam per actiones in suo ordine perfectissimas, et per omnes, quæ moraliter desiderari possunt, illum inquirat. Docet autem D. Thomas, 2. 2, q. 188, art. 6, inter religiones respicientes eundem finem illam esse perfectiorem, quæ per actionem perfectiorem illum attingit, et, cæteris paribus, illam quæ per plures actiones. Quod etiam ex communi sententia Doctorum, c. 3, ostendimus.

8. *Secundo, ex perfectione votorum ad talem finem faciente.* — *Tertio, ex aliis mediis.* — Secundo, idem suaderi potest ex perfectione trium votorum, in quibus substantia religionis consistit; jam enim in citato loco, a n. 4, indicavimus quanta sit, tam intensiva, quam extensiva perfectio Societatis in materia et observantia horum votorum, et præsertim quantum emineat in obedientia, quæ aliis est excellentior. Tertio, probari potest ex aliis mediis, quibus ad finem suum hæc religio utitur; nam et in se sunt plura et valde perfecta, et ad finem intentum maxime proportionata, ut ex illo eodem capite satis constat; supposita autem perfectione finis, nulla major perfectio in aliqua religione desiderari potest. Nam, ut recte dixit S. Antonius Abbas, et retert Moyses Abbas, apud Cassianum, col. 2,

c. 2, *optima ratio inquirendæ perfectionis non in his vel illis actionibus, aut multitudine earum, sed in discretionem posita est; nulla autem est major discretio majorve prudentiæ perfectio, quam ut proposito optimo fine, convenientissima etiam media, et ad illum maxime proportionata eligantur.*

9. *Quarto, ex perfectione charitatis erga proximum.* — *Quinto, ex perfectione charitatis erga Deum.* — Quarto, id ostendi potest ex perfectione charitatis erga proximum, quam hæc religio profitetur, ut toto lib. 9 constabit latius. Illa ergo cerni potest primo in unione religionis et membrorum ejus inter se, de qua supra dictum est, et dicetur latius libro octavo, c. 8. Deinde in benevolentia erga proximos, quæ, ut D. Thomas docuit, opusc. 18, c. 4, tunc perfecta ostenditur, quando ad omnes amicos et inimicos, fideles et infideles extenditur, et quando pro eorum commodis præsertim spiritualibus propria incommoda temporalia et corporalia etiam usque ad mortem, si opus sit, contemnantur. Quæ omnia manifeste cernuntur in modo diligendi proximos, quem hæc religio profitetur. Testimonium enim hujus benevolentiae est beneficentia; nam *testificatio amoris exhibitio est operis*, ut dixit Gregorius, hom. 17 in Ezechielem, et in illud 1 Reg. 3: *Non erat visio manifesta*; et iterum hom. 30 in Evangelium. At Societas hoc beneficentiae genus plane proficitur, ut evidentissimum est ex ejus instituto, et peculiari ac propria obligatione qua tenetur, non solum pro communibus Ecclesiae hostibus, nedum Catholicis universis, sed pro suis etiam privatim inimicis, æmulisque gratiose orare, quod ad beneficentiam spectare docuit D. Thomas 2. 2, q. 31, a. 2, ad 1. Offerre item (quod specialius est) sacrificia pro iisdem, ac denique ex paupertatis voto nullum ab eis acceptare stipendium aut compensationem, quos tam sedulo, tamque laboriose litteris imbuunt, aut consilio in rebus dubiis instituit, salutarique doctrina pro concionibus impertit. Atque hinc constat quinta ratio, quæ sumi potest ex perfectione charitatis ad Deum. Unum enim ex maximis signis dilectionis ad Deum, est dilectio proximi, propter quod scriptum est, Rom. 13: *Qui diligit proximum, legem implevit*; ergo etiam perfectio charitatis erga proximum magnum indicium esse debet perfectionis charitatis erga Deum, præsertim cum ex vi sui instituti, ut dixi, teneatur Societas in animarum salute procuranda nullum temporale commodum quærere,

neque honores, aut humanas dignitates; quid ergo ei superest, nisi divinam gloriam propter se ipsam quærere, prout in suis constitutionibus sæpe admonetur? Hoc autem proprium est amoris Dei propter se ipsum; ergo.

10. *Sexto, ex suæ vocationis gratia.* — *Denique ex peculiari ratione in subditos vigilandi.* — Hinc sexto ad hanc perfectionem spectare potest singularis illa gratia *vocationis*, quam capite præcedenti, numero nono, ostendi ab Spiritu Sancto dari. Quamvis enim hæc distributione accommoda unicuique religioni tribuatur, verisimile tamen est ei dari copiosiore et majorem, quæ ad altiores effectus divinæ gratiæ assumitur; nam, ut ibidem quoque ostendi, confert Deus gratiam juxta mensuram obligationis et muneris, quæ gratia etiam crescere solet ex dispositione hominis, ad quam pertinet affectus ille, quo persona vel majorem difficultatem propter Deum amplectitur, vel magis se ipsam abnegat. In utroque autem videtur hæc religio habere singularem excellentiam; nam ex parte Spiritus Sancti instituta est ad excellentiores effectus divinæ gratiæ, quales sunt Ecclesiae propagatio, fidei defensio, animarum conversio et perfectio. Ex parte vero eorum qui ad hanc religionem vocantur, quia eximia quædam abnegatio ab eis postulatur, ita ut nec locum, nec officium, nec quidquam aliud certum aut securum habere possint, sed ad omnem mutationem, omnemque difficultatem superandam expositi semper esse debeant; et sine dubio credendum est propriam gratiam hujus *vocationis* singulari modo esse perfectam et paratam, quantum est ex parte Dei. Denique posset hic etiam considerari singularis providentia hujus religionis ex vi sui instituti, tam in promovendo ad bonum subditos suos, medio usu sacramentorum et aliarum spiritualium rerum, quam in præcavendis malis, seu obstaculis et impedimentis spiritualis profectus. Sed hæc et in superioribus facta sunt, et toto libro 8 recurrent, et expenduntur etiam statim, punctum alterum numero 6 propositum prosequendo.

CAPUT VIII.

CONVENIENTER IN SOCIETATE CANTUS ET CHORI ORDINARIUM USUM NON ESSE.

1. *Non pertinere ad perfectionem religionis omnia consilia collective profiteri.* — Superest

ut objectionibus factis respondeamus: inde etiam facile colligetur, quod in capite præcedenti, numero sexto, secundo loco propositum est, scilicet, non posse religionem hanc aut imperfectionis argui, aut aliis religionibus postponi, eo quod vel cantu et choro non utatur ordinarie (in casu enim aliquo usum admitti patet ex congregatione generali 1, can. 25, et congreg. 2, can. 24, et congreg. 3, can. 9, et ex iis quæ lib. 8, c. 2, numero quarto, in fine attingemus), vel quia in exteriori victu et vestitu specialem austeritatem non profiteatur. Ad quod imprimis suppono, non pertinere ad perfectionem alicujus religionis, ut omnia consilia collective (ut sic dicam) et in particulari amplectatur et profiteatur. Quod significavit D. Thom. 2. 2, q. 186, a. 2, et late a nobis explicatum est, tractando in genere de statu religionis, tractatu 8. Et ratio evidens est, quia impossibile est multitudinem omnium consiliorum simul exequi et observare; imo, quædam eorum possunt esse impossibilia ut simul fiant, ut inservire infirmis, et concionari, aut eodem tempore, aut continuo officio; sæpe enim ipsa rerum multitudine obruitur humana natura, et aut vires corporis deficiunt, aut fervor spiritus extinguitur, et ita propter indiscretum onus sæpe in virtute non perseveratur, ut dixit S. Antonius, apud Cassian., dicta collat. 2, cap. 2. Et colligitur optime ex verbis illis Apostolorum, Actor. 6: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.* Opus enim illud ministrandi optimum erat, et sub consilio, non tamen statui Apostolorum accommodatum, quia non poterat simul cum munere prædicationis conjungi.

2. *Duo consideranda ut comparatio inter duas religiones fiat.* — *Unum.* — *Alterum.* — Quapropter, quando fit comparatio inter religiosos status, et uni videtur deesse aliqua observantia religiosa, et exercitium alicujus operis sub consilium cadentis, quod in aliis religionibus invenitur, non statim potest talis religio aut imperfecta, aut inferior aliis simpliciter judicari. Sed ut de utraque illa re judicium feratur, duo cum partitione accommodanda pensanda sunt. Unum est, an tale opus sit accommodatum fini talis religionis, vel potius an, considerato illo fine, expediens fuerit tale exercitium in tali religione non admittere: nam, si prudenter hoc ita judicatum fuerit, carentia illius observantiæ non poterit juste existimari imperfectio privata (ut philosophico more loquar) talis religionis, cum

non sit carentia perfectionis illi debitæ, vel convenientis juxta finem suum; imo nec imperfectio negativa simpliciter reputanda est, si finis ille, propter quem talis observantia omittitur, perfectior est illa, sicut ex Divo Anselmo Theologi et philosophi dicunt, non pertinere ad perfectionem simpliciter habere formaliter perfectionem illam, quæ majorem excluderet. Unde statim sequitur aliud considerandum, an, scilicet, carentia illius boni exercitii alio meliori compensetur, quod simul cum alio moraliter esse non potest, atque ita recte fiet judicium illud comparativum. Si enim aliqua religio tali bono careat, idque non propter aliud majus vel æquale, quo carentia illius boni compensetur, sine dubio ea religio, quæ cæteris paribus in tali bono excesserit, perfectior erit. Si autem ille defectus aliunde compensatur, non potest altera religio simpliciter judicari excellentior, sed ad summum secundum quid. Quam totam doctrinam tradit D. Thomas, et bene explicuit Cajetanus 2. 2, q. 188, art. 7, ad 1.

3. *Prudenter statutum esse in Societate, ne in ea sit usus chori.* — Deveniendū ergo in particulari ad religiosum usum chori, et cantus ecclesiastici ac psalmodiæ, ut in capite præcedenti, numero primo, opponeretur, ostendo primo, prudenter in Societate institutum esse, ut in ea non sit hujusmodi usus, quia, licet secundum se optimus sit, ad finem Societatis non juvaret, neque esset medium proportionatum. Quod his verbis tradidit Beatus Ignatius, 6 p. Constitutionum, cap. 3, § 4: *Quoniam occupationes, quæ ad animarum auxilium assumuntur, magni momenti sunt, ac nostri instituti propriæ, et valde frequentes, cumque aliqui nostra habitatio tam sit in hoc vel in illo loco incerta, non utentur nostri choro ad horas canonicas, et Missas, et alia officia decantanda, quandoquidem illis, quos ad ea audienda devotio moverit, abunde suppet ubi sibi ipsis satisfaciant. Per nostros autem ea tractari convenit, quæ nostræ vocationis ad Dei gloriam magis sunt propria.* Quam constitutionem in particulari Motu proprio, et ex certa scientia, confirmavit Gregorius XIII, in bulla edita anno 1571, quæ incipit *Ex Sedis Apostolicæ*, atque duas vel tres rationes reddidit: unam a priori (ut sic dicam), illis verbis: *Quo acrius studiis, lectionibus et prædicationibus intendere possint; aliam a posteriori, ibi: Nos considerantes religionem prædictam uberrimos fructus ad Dei laudem, et sanctæ Catholicæ fidei propagationem per uni-*

versum orbem dedisse, meritoque in suis piis studiis fovendam esse, etc. Addit etiam argumentum ab auctoritate: *Quia hoc modo fuit hoc institutum a Paulo III, et Julio III approbatum, eique per sanctum Concilium Tridentinum derogatum minime extitit.*

4. *Quæ rationes B. Ignatium moverint ad hanc constitutionem condendam.* — In verbis autem Beati Ignatii considerare oportet, omnes rationes, quibus motus fuit ad non imponendum Societati chori onus (quamvis in hoc primus non fuerit, ut num. 6 ostendimus), sumptas esse ex illo fine quærendi majorem gloriam Dei in hoc effectu salutis animarum, per ea media quæ ad illum magis conferre possent. Duo autem ad hoc consideravit. Unum est, chorum, vel cantum Societatis non fuisse nunc Ecclesiæ necessarium ad hunc finem. Optime enim intellexit, hoc sanctum opus laudandi Deum publice in divinis officiis per cantum, non solum per se esse honestum propter laudem Dei, et sanctam contemplationem eorum, qui illum exercent, sed etiam esse utile proximis, ad excitandam eorum devotionem, et præbendam eis occasionem, ut in audiendis divinis laudibus eo tempore occupentur. Consideravit autem subinde esse in Ecclesia sufficientem copiam et abundantiam hujus medii ad excitandos fideles, et ideo propter hanc finem non fuisse in Societate necessarium. Et hinc additum est in declaratione illius constitutionis (quæ eandem habet cum illa auctoritatem), prudentiæ Societatis relictum esse, quoties ad majorem animarum fructum expedire censuerit, partem aliquam hujus sancti exercitii assumere, ut ea occasione, verbi gratia, fideles ad conciones audiendas et confessiones faciendas frequentius conveniant, merito id facere posse, ea prudentia et moderatione quæ prædicto fini inserviat, et majora bona non impediatur.

5. *Secunda ratio: domos probationis non esse chori ministerio accommodatas.* — De profectis domibus idem ostenditur. — Alterum a nostro Patre consideratum est, actiones, quibus Societas incumbit in salutem proximorum, tot esse et tam graves, ut sine magna earum jactura non possit hæc religio in officio divino decantando occupari. Quod quidem tam est per se notum, ut nulla fere explicatione indigeat. Facilius autem id intelligit, qui per singula membra Societatis, aut omnes status seu congregationes eorum cogitatione discurrerit. Domus enim probationum ad hujusmodi usum per se accommodatæ non sunt,

tum quia si officia hæc per antiquiores et graviores non exercentur, non possunt pro dignitate, et cum debito splendore fieri; tum etiam quia in unaquaque religione, in illis actibus et ministeriis oportet novitios instrui et exerceri, quæ postea perpetuo debent in eadem religione retineri, ac propterea tota probatio novitiorum Societatis, ut postea lib. 2, cap. 5, videbimus, adeo est intenta eorum instructioni spirituali, et usui quotidianæ meditationis ac contemplationis, nec non etiam aliis actionibus et operibus exercendis, in quibus humilitas, et abjectio propria, et charitas erga proximum, exercetur, ut ad hæc publica officia convenienter distrahi non possint. Adde bonam novitiatum partem in peregrinando, in ministrando in xenodochiis, ac similibus experimentiis extra domos, longeque proinde a choro expleri. Jam vero de collegiis studiorum res est per se evidentior; nam etiam religiones, quæ hoc maxime ministerium chori profitentur, in collegiis specialiter ad studia deputatis ab ea occupatione suos tam magistros quam Scholasticos simpliciter abstinere jubent. Nam revera studia præsertim tam gravia et multiplicia, qualia sunt illa, quæ Societas proficitur, si serio, et cum insigni fructu, prout in Societate etiam postulatur, tractanda sunt, totum tempus totumque hominem requirunt; et alioqui chori etiam occupatio, si convenienti modo fieri debet, non parum laboriosa est, magnamque temporis partem requirit. Denique discursus hic ad domos etiam professorum facile potest applicari. Sunt enim actiones circa proximos, quæ ab illis exercendæ sunt, gravissimæ, et alioqui considerare oportet eas hujusmodi esse, ut ab studiis et lectione Patrum, vel aliorum Doctorum, qui de rebus divinis, et ad conscientiam pertinentibus disserunt, nunquam omnino cessare permittant. Addo insuper, quod lib. 8, cap. 1, num. 4, afferemus, hujusmodi operariis necessarium esse aliquibus temporibus, et diuturnis, et frequentibus, quantum occupationes permiserint, privatæ considerationi, meditationi et contemplationi vacare, quæ ad propria munera cum fructu animarum peragenda, et augmentum propriæ perfectionis, et ad periculum et incommoda vitanda, quæ in his muneribus intermisceri possunt, multo utilior est quam chori et cantus ecclesiastici occupatio. Cum ergo non possent hæc omnia simul conjungi, quia hominem frangerent et obruerent, et singula imperfecte fierent, juxta commune proverbium: *Pluribus intentus, minor est ad*

singula sensus, merito Ignatius Societatem hoc onere liberandam putavit.

6. *Non fuisse primum Ignatium qui a cantu et choro abstinuit.* — *Prima observatio in civitatis testimoniis.* — *Secunda.* — *Tertia.* — Nec vero primus fuit Beatus Ignatius, cui Spiritus Sanctus eam mentem induxit; multo enim antea eandem doctrinam per antiquos Patres Ecclesiam docuerat; Gregorius enim Papa, coram sanctissimo B. Petri corpore cum Episcopo omnibus, ac Romanæ Ecclesiæ presbyteris residens, astantibus diaconis, et cuncto clero dixit: *In sancta Romana Ecclesia, cui divina dispensatio præesse me voluit, dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, ut quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, et in diaconatus ordine constituti, modulationi vocis inserviant, quos ad prædicationis officium, eleemosynarumque studium vacare congruebat.* Et postea statuit ut talia officia per subdiaconos vel minores clericos solvantur, aut cantentur. Ita habetur lib. 4 Registri, cap. 88, alias epist. 44, et in quodam Concilio, quod post 12 lib. registri refertur, et in cap. *In sancta*, d. 92. Quod decretum tractans D. Thomas 2. 2, quæst. nonagesima prima, articulo secundo, ad 3, verba habet ad nostrum institutum valde notanda: *Ad 3 (inquit) dicendum quod nobilior modus est provocandi hominis ad devotionem per doctrinam et prædicationem, quam per cantum, et ideo diaconi et Prælati, quibus competit per prædicationem et doctrinam animos hominum provocare in Deum, non debent cantibus insistere, ne per hoc a majoribus retrahantur.* In quibus verbis ratio potius attendenda est, quam particulares personæ, quæ in eis nominantur. Quod enim sint Prælati aut diaconi, materiale quid est (ut sic dicam); formale autem, quod eis ex proprio munere competat officium prædicationis exercendæ, sub quo omnia ministeria comprehenduntur, quibus proximorum salus directe procuratur. Illud etiam ex his testimoniis constat, præferendum esse munus doctrinæ et prædicationis, psalmodiæ, seu cantui ecclesiastico, quando utrumque non potest simul perfecte et stabiliter exerceri. Denique hinc etiam observari potest differentia inter cantum et prædicationem, quod prædicationis est propria actio sacerdotum vel diaconorum; cantus vero per quoslibet inferiores clericos exerceri potest, adde etiam per laicos, si necesse sit, et maxime si sint divino servitio mancipati. Et hinc factum est, ut religiones monachorum, quia per se non sunt religiones

sacerdotum, sed laicorum, chori ministerium profiteantur, quia optime per illos exerceri potest, et est fini eorum accommodatum, scilicet, ad contemplationem; non tamen idem est de omnibus religionibus sacerdotum; quia sacerdotis officium non est solum divinis officiis, sed maxime salutem hominum procurandam insistere, ut Gregorius dixit in 3 p. Pastoralis, cap. 4; et Concilium Aquisgran., cap. 8, et sumitur ex multis decretis apud Gratianum, 16, quæst. 1, cap. *Placuit*, cum similibus. Et ideo, licet religio clericorum, quæ solum quoad priorem partem eorum ministerium usurpat, merito etiam in divinis officiis publice et cum cantu versetur, religio tamen sacerdotum, quæ totum eorum ministerium, et præcipue illud, quod ad salutem et profectum animarum pertinet, proficitur, non poterat convenienter in choro et cantibus occupari.

7. *Corollarium primum, in quo Soti dictum reprehenditur.*—Ex his ergo satis constat pessime dixisse Sotum, præcedenti capite, num. 1, citatum, religionem, sine obligatione dicendi officium divinum in communi institutam, vix nomen religionis mereri. Nam præterquam quod illud est præter Pontificum approbationem, nullo fundamento nititur; quia chorus vel recitatio officii canonici in communi non est de substantia religionis, ut est per se notum; neque etiam est medium necessarium ad illam sustinendam, vel ad perfectionem assequendam, quia charitas multis aliis modis perfici potest. Et potest aliqua religio habere finem accommodatum perfectioni charitatis, ad quem medium illud non sit proportionatum. Quomodo D. Thomas, quæst. centesima octogesima octava, dixit, posse institui religionem ad opera vitæ activæ in operibus misericordiæ corporalis, vel ad temporalem militiam, ad quos fines medium illud accommodatum non est. Nec Soto affert aliam rationem, nisi quia talis religio maximo splendore religionis careret, quasi vero substantia et perfectio religionis ex hoc splendore metienda sit; vel non possit etiam salvis operibus virtutum, et præcipue ex spiritualibus effectibus et beneficiis circa proximos sufficientem, ne dicam majorem splendorem habere.

8. *Corollarium secundum, non posse imperfectionis argui eo quod choro careat.*—*Instantia bipartita.*—*Solvitur prior pars.*—*Solvitur posterior.*—Secundo sequitur ex dictis, non posse Societatem argui quod imperfecto aut indebito modo instituta sit, eo quod hoc splendore seu munere careat, quia (ut recte

dixit D. Thomas, dict. quæst. 188, a. 7, ad 1), quando aliquod opus est instrumentum ad perfectionem, non consistit perfectio religionis in tali instrumento, aut in quantitate vel modo ejus absolute spectatis, sed cum debita proportionem ad finem talis religionis. Chorus autem non est ipsa perfectio, sed instrumentum ad perfectionem, et ideo absolute non fuit Societati necessarius, et alioqui non erat proportionatum instrumentum ad finem Societatis, et ideo ad perfectam institutionem ejus non fuit necessarium, neque conveniens tale medium. Dices, esto non sit medium proportionatum speciali fini Societatis, esse fere necessarium ad generalem finem religionis contemplativæ, quam non debet excludere finis particularis Societatis, si ipsa perfecta religio est. Unde, eo ipso quod Societas talem habeat finem proprium, qui medium illud convenienter non admittat, convincitur esse imperfecta religio, etiam si intra suos limites cum perfectione instituta sit. Respondeo ad priorem partem negando assumptum; quia sunt multa alia media, quibus finis vitæ contemplativæ comparari et exerceri potest, alioqui monachi et eremitæ, qui solitariam vitam profitebantur, non fuissent professi perfectam vitam contemplativam, quod plane falsum est; quamvis enim desit publicus et corporalis cantus, potest laudari Deus, ut instruimur Ephes. 5, in *hymnis et cantibus spiritualibus*, et privatis. Accedit, quod cantus publicus magis usurpatur, quia est utilis Ecclesiæ ad excitandos homines ad devotionem, et laudem Dei, quam quia sit necessarius vel simpliciter, vel moraliter ad propriam et internam perfectionem vitæ contemplativæ earum personarum, quæ in hujusmodi exercitio occupantur. Unde ad alteram partem negatur etiam assumptum, quia, licet finis proprius Societatis hoc medium non requiratur, neque cum illo habeat convenientem proportionem, nihilominus in se perfectissimus est, et secum admittit, imo requirit magnam perfectionem vitæ contemplativæ, ut in capite superiori demonstratum est. Denique ostensum est, finem hunc esse omnium perfectissimum, et ideo, quidquid cum illo non habuerit convenientem proportionem, profecto necessarium non est ad religionem simpliciter perfectam, ut ex sequenti illatione magis patebit.

9. *Corollarium tertium, Societatem, etiam si choro careat, non esse imperfectiorem religionibus illum habentibus.*—*Interrogationi quorundam satisfi, ex D. Thoma et Gregorio.*—Tertio,

CAPUT IX.

UTRUM SOCIETAS ARCTAM SIMPLICITER AN LAXAM REGULAM PROFITEATUR.

ex dictis infero, ex hoc capite, quod Societas chororum non habeat, inferri non posse esse minus perfectam aliis illum habentibus. Sicut D. Thomas paulo ante citatus dixit, religionem, quæ majorem paupertatem proficitur, non debere statim gloriari, quod aliis simpliciter perfectior sit, sed ad summum secundum quid, quia potest ab alia excedi in his quæ pertinent ad obedientiam vel continentiam, quæ majora sunt, et quod in melioribus excedit, est simpliciter melius. Sed quid habet Societas proprium, quo possit bonum illud æquari, ne dum superari? Respondeo ex doctrina ejusdem D. Thomæ, et Gregorii, n. 6, citati, functiones illas, quibus directe salus animarum procuratur, non solum æquare, sed longe excedere bonum illud; ostendimus autem in his functionibus, et in perfectione et obligatione earum non pauca habere Societatem sibi propria, et nulli alteri religioni ex vi sui instituti convenientia; ergo ex hoc capite potius excedit in eo quod simpliciter melius est. In quo etiam considero hunc excessum non solum esse in his, quæ ad vitam activam pertinent, etiamsi functiones illæ hujus vitæ actus esse videantur. Nam zelus animarum, a quo illæ functiones debent procedere, ad actus vitæ contemplativæ pertinet, et est maxima pars perfectionis ejus, cum ad perfectionem charitatis proximi formaliter pertineat, et in perfecta charitate Dei radicatus esse debeat. Est autem hic zelus suo modo proprius et peculiaris hujus instituti, quatenus cum speciali perfectione illum postulat et intendit. Nam, in 4 p. Constitutionum, cap. 3, dicitur, *hanc Societatem exercendam esse in charitate, et zelo animarum, quo omnia hominum genera complectatur, ut eorum serviat spirituali utilitati.* Et decima parte, § 2, potissima media Societatis ad suum finem esse dicuntur, *probitas et virtus, ac præcipue charitas, et pura intentio divini servitii, et familiaritas cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis, et zelus sincerus animarum ad gloriam ejus, qui eas creavit et redemit, quovis alio emolumento posthabito.* Hæc ergo sunt, quæ Societatis vitam etiam quoad partem contemplativam maxime perficere possunt, et chori jacturam non solum supplere, sed etiam superare.

1. *Ratio dubitandi.*—Ut secundæ objectioni relictæ in c. 7, n. 2, radicatus et plene respondeam, præsentem quæestionem tractare visum est. Quia enim Societas vitam minus austeram in his, quæ ad externam corporis tractationem pertinent, scilicet, in victu et vestitu, assumpsisse videtur, ideo calumniosiores aliqui in eam objiciunt, quod laxiorem regulam observet; quibus ex hæcenus dictis non satis responsum videtur, quia fieri optime potest ut religio aliqua ex fine suo, et aliquibus ministeriis majorem quamdam dignitatem habeat, et nihilominus sub laxiori regula vivat. Sic ergo religio Canonicorum regularium, eo quod sit religio sacerdotum, et ad officia, quæ in divinis mysteriis peraguntur, ordinatur, specialem ac propriam habet dignitatem. Et nihilominus in cap. *Quod Dei timore*, de Statu monachor., de illis dicit Innocentius III, quod *regulæ inserviunt laxiori.* Hoc autem non videtur alia ratione dictum, nisi quia licet in cæteris religiose vivant, in his, quæ ad corpus pertinent, nullam specialem observant asperitatem, sed commodum, licet temperatum, vivendi modum habent. Ergo eadem ratione dicenda est laxiori regulæ Societas inseruire. Atque hoc aliqui ita exaggerant, ut inde velint persuadere hominibus religionem hanc imperfectissimam esse, eo quod ejus professores delicate (ut ipsi aiunt) vivant, nihilque a secularibus discerni videantur. (Dominicus Bannes, Relectione de charitate).

2. *Discrimen inter austeritatem, pœnitentiam, et arctam regulam.*—*In quo austeritas vite consistat.*—*Quid pœnitentia.*—*Arctitudo regulæ quid sit.*—Ut ergo calumniam hanc excludamus, et quid rei veritas habeat aperiamus, tria hic distinguenda sunt, scilicet, pœnitentia, austeritas, et arcta regula; sunt enim hæc valde distincta. Quia austeritas vitæ, prout in præsentem, et juxta communem modum loquendi sumitur, significat specialem asperitatem in externa ac ordinaria, et communi corporis tractatione, ad quam præcipue pertinet, quoad victum, abstinentia a carnibus, et erit major, si sit etiam a lacticiniis, et gravior, quo etiam in quantitate ciborum, et